

**S**īcelidēs Mūsæ, paulō mājōra canāmus !  
Nōn omnīs arbusta juvant humilēsque myrīcæ :  
sī canimus silvās, silvæ sint cōnsule dignæ.

4 **U**ltima Cūmæī vēnit jam carminis ætās ;  
magnus ab integrō sæclōrum nāscitur ōrdo :  
jam redit et Virgō, redeunt Sātūrnīa rēgna ;  
jam nova prōgeniēs cælō dēmittitur altō !

8 Tū, modo nāscētī puerō, quō ferrea prīmum  
dēsinet ac tōtō surget gēns aurea mundō,  
casta favē Lūcīna : tuus jam rēgnat Apollō.

12 Tēque adeō decus hōc ævī, tē cōnsule, inībit,  
Pollio, et incipient magnī prōcēdere mēnsēs,  
tē duce. Sī qua manent sceleris vestīgia nostrī,  
inrita perpetuā solvent formīdine terrās.

16 Ille deum vītā accipiet, dīvīsque vidēbit  
permixtōs hērōas, et ipse vidēbitur illīs,  
pācātumque reget patriūs virtūtibus orbem.

**A**t tibi prīma, puer, nullō mūnuscula cultū,  
errantīs hederās passim cum baccare tellūs,  
20 mixtaque rīdentī colocāsia fundet acanthō.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ  
ūbera, nec magnōs metuent armenta leōnēs ;  
ipsa tibi blandōs fundent cūnābula flōrēs ;  
24 occidet et serpēns, et fallāx herba venēnī  
occidet. Assyrium volgō nāscētur amōmum.

At simul hērōum laudēs et facta parentis  
jam legere et quæ sit poteris cōgnōscere virtūs,  
28 mollī paulātīm flāvēscet campus aristā,  
incultīsque rubēns pendēbit sentibus ūva,  
et dūræ quercūs sūdābunt rōscida mella.

32 Pauca tamen suberunt prīscæ vestīgia fraudis,  
quæ temptāre Thetim ratibus, quæ cingere mūrīs

oppida, quæ jubeant tellurî infindere sulcôs :  
 alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argô  
 dellectôs Hērôas ; erunt etiam altera bella,  
 36 atque iterum ad Trôjam magnus mittetur Achillês.

**H**inc, ubi jam firmata virum tē fecerit ætās,  
 Hædet et ipse marî vector, nec nautica pinus  
 mutabit mercēs : omnis feret omnia tellûs :  
 40 nōn rastrôs patietur humus, nōn vînea falcem ;  
 rōbustus quoque jam taurîs juga solvet arator.

Nec variôs discet mentirî lāna colōrēs :  
 ipse sed in prātis ariēs jam suāve rubentî  
 44 mūrîce, jam crocêo mutabit vellera lûtō ;  
 sponte suā sandyx pascētîs vestiet agnôs.

Tālia sæcla, suis dixerunt, currite, fûsîs  
 concordēs stabilî fâtorum nûmine Parcæ.

**A**dgrede o magnôs, aderit jam tempus, honôrês,  
 Acâra deum subolês, magnum Jovis incrémentum !  
 Adspice convexô nûtantem pondere mundum,  
 terrâsque tractûsque maris cælumque profundum !  
 52 Adspice, venturô lætentur ut omnia sæclô !

Ô mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,  
 spîritus et quantum sat erit tua dîcere facta !  
 Nōn mē carminibus vincet nec Thrâcius Orpheus,  
 56 nec Linus, huîc mäter quamvis atque huîc pater adsit,  
 Orphei Calliopêa, Linô fôrmosus Apollô.

Pân etiam, Arcadiâ mēcum sî jûdice certet,  
 Pân etiam Arcadiâ dîcat sē jûdice victum.

**I**ncipe, parve puer, risû cognoscere mätrem,  
 60 mätirî longa decem tulerunt fastîdia mēnsēs.

Incipe, parve puer : cui nōn risere parentēs,  
 nec deus hunc mēnsâ, dea nec dignata cubîli est.